

Quarta. Infirmittatis proprietates sunt aliquando secundum naturam signorum in quibus sunt infortunæ in figura prædicta, uidelicet in ascendente, & Septima. Nam Cancer, Capricornus, & pisces & omnia signa, quorum figuræ siluestribus animalibus, aut piscibus asimulantur, infirmitates proprie generant, quæ corro dendo augmentantur, sicuti impetigines, excoriations, fistulæ, lepra &c.

Sagittarius & Gemini, faciunt casum, epilepsiam & his similia.

Infortunæ in extremis partibus signorum, significant quòd in extremitatibus membrorum infirmitates accident, ut podagra, cheragra. In principijs uero signorum erunt infirmitates & læsiones in membris principalibus & extremis, ut in facie, uel alio in loco, & accident illæ propter damnum eueniens ex decursu humorum ut sunt lepra, podagra, cheragra. Quòd si fortunæ non associantur in figura stellis infortunantibus, quæ sunt horum occasio, uel cum luminaribus si sint in angulis, uel etiam si testificantur eis, & sint tamen debiliores infortunis super eas eleuatis, erunt infirmitates nati graues multæ, & nullis remedijs medicabiles. Verum si fortunæ eleuata fuerint super infortunas, quæ sunt occasio prædictorum, uel his testificata fuerint, & simul fortes in dignitatibus proprijs, & orientales, decernunt quidem impedimenta, sed non disturbantia corpora mortaliter, sed leuia erunt. Iupiter etiam cum prædictis infirmitatibus causam præbet, occultat impedimenta, & ægritudines, & occurrit morbis aliorum auxilijs. Nam si fuerit cum Mercurio, delebit medicaminibus infirmitates. Venus autem decorabit impedimenta quadam parte uenustatis, ut puta diuinis quibusdam dotibus, prophetijs, per quas extollentur nati sub ista constellatione. At si cum Venere fuerit Saturnus, erunt infirmitates patefactæ & detectæ. Si Mercurius cum Venere fuerit, has cum utilitate & lucro patietur, quia sola fide, ab infirmitate liberabitur. Hæc Ptolemæus.

Aliorum sententiæ & Aphorismi.

Pro infirmitatibus, considera.

- Ascendentem.
- Sextam domum.
- Dominum eius.
- Septimam.
- Almuten significatorum infirmitatum.
- Primum dominum triplicitatis sextæ domus.
- Partem Azemene.
- Dominum eius.
- Patrem anni quo timetur mors.

Pro infirmitatibus corporis & causis earum uide domum sextam & dominum eius, partem Azemene & dominum eius, planetas in sexta, similiter Lunam & eius dominum. Et si plurimi ex his fortunati fuerint, uel fortissimus ex eis cum domino ascendente beneuole coniunctus, significant nato sanitatem, & paucos morbos, præsertim si talis coniunctio in angulis uel succedentibus contingit. Si uero plurimi, uel fortissimus ex eis infortunati sunt, & coniuncti domino ascendente, significant multos morbos.

Almuten significatorum infirmitatum trahitur à	Cuspide sextæ domus	} Almuten illorum. Si impedit ascendens, dabit nato ægritudines de sua natura. Quia si fortis fuerit & damnauerit ascendens, aut eius dominum, significat infirmitates. Si debilis, nec aspiciens ascendens, nullas dabit.	
			Domino eius.
			Parte azemene.
} Almuten illorum. Si impedit ascendens, dabit nato ægritudines de sua natura. Quia si fortis fuerit & damnauerit ascendens, aut eius dominum, significat infirmitates. Si debilis, nec aspiciens ascendens, nullas dabit.	Domino eius.	} Almuten illorum. Si impedit ascendens, dabit nato ægritudines de sua natura. Quia si fortis fuerit & damnauerit ascendens, aut eius dominum, significat infirmitates. Si debilis, nec aspiciens ascendens, nullas dabit.	
	Primo domino triplicitatis sextæ		

Plane